



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**


### **Vita Magni Servi Dei P. Julii Mancinelli Societatis Jesu**

**Cellesi, Jacopo**

**Oeniponti, 1677**

Ad Sanctissimvm D. N. Clementem IX. Beatissime Pater.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42734**



AD

*SANCTISSIMUM D. N.*

**CLEMENTEM IX.**


**BEATISSIME  
PATER.**



Vicunque condendis libris operam navant, iis prima ferè cura est, suo ut partui obstetricanrem inveniant manum, id est, Patronum scilicet, cujus sub umbra, & protectione non minùs auctor, quàm liber tutus, securusque ævum degant, quæ ipsis plerumque causa est, ut sæpè diu multùmque circumferant oculos, donec potentem, & qui imponere adversariis silentium possit, patronum inveniant Mihi hic multùm anxio esse non licet; statim enim tota animi propensione illuc ferrebar, quò me pridem teneris propè ab annis cor meum animusque inclinavere, videlicet ad Sanctitatem tuam, Beatissime Pater! Etenim jam dudum

X 2

id,



id, quod sum, & quod possum (quod sentio, quàm  
mea ex parte tantillum sit) quodcunque tamen est,  
tibi me debere, & debiturum libenter confiteor;  
accedit Religio Instituti nostri, quod tibi se totum ex  
asse & debet, & se tibi debere ultrò fatetur, & gaudet,  
ad eum modum, quo fructus est ejus, cujus est ar-  
bor, ex qua pendet, & cujus succo vivit. Isthæc igitur  
vita Patris Julii Mancinelli, cujus prænomen  
Sanctitati Vestræ in sacro fonte est inditum, ut nihil  
in ea sit, quod tibi non debeatur, sicut absque beni-  
gnissimo radiorum tuorum influxu & auctoritate  
non potuit, ità gaudet non nisi sub ejusdem Sancti-  
tatis tuæ fortunatissima luce lucem aspicere; orbis  
namque terrarum, ubi audiverit eam esse rem Bea-  
titudinis tuæ, devoto & submisso eam oculo & po-  
plite adorabit, sicut tuas plus quàm humanas ad-  
orat, & veneratur virtutes. Et verum nisi velimus  
dissimulare, iis tam plena est hæc vita, ut non pluri-  
mum differat ab ea, quam tanto cum orbis festivè  
acclamantis plausu vivit sanctitas tua, unde &  
hoc titulo planè tua est. Etenim hic ipse genero-  
sus rerum humanarum & mammonæ contemptus,  
isthæc talis in munificentissimas eleemosynas pro-  
fusio, illa continua, & nimium quantum admiran-  
da pauperum mensarum ministratio cum subtra-  
ctione frugalitatis tuæ, illa tam insignis hospitalium  
domorum sublevatio cum imminutione splendoris  
tui,



tui, illa tenera & assidua templorum, erga Sanctos,  
& cultum divinum cura, illa popularis & amabilis  
in admittendis ad se omnibus etiam infimis palam  
& privatim laudatissima humanitas quid aliud sunt  
quàm heroica impressa vestigia cùm Sanctitati in-  
primis vestrae, tum Patri Julio communia? nisi hoc  
cum inter utrumque discrimine, quòd illa religiosus  
requirebat status, conditio & professio, in summo  
autem Pontifice Christianus adspicit Mundus, imò  
cum admiratione commendat orbis terrarum. Li-  
beat igitur, quod humillimè mecum rogat, atq; ob-  
secrat Societas Jesu, ac tua hoc quodcunq; debitissi-  
mi obsequii genus illo benigno oculo, & animi sem-  
per placidi affectu & conspectu dignari, cujus jam  
nonnullum hucusq; delibandum expertus sum præ-  
gustum, & promulsidem, & ego nunquam divi-  
nam exorare clementiam ac bonitatem desistam,  
ut suam Beatitudinem ex alto semper placidissimo  
intueri aspectu in longissimum pergat ævum, cujus  
ad Beatissimos exosculandos pedes profundissimè  
prostratus admitti supplicor.

S. V.

*Humillimus Obsequentissimus, Devotissimus,  
& Subditus & Servus.*

JACOBVS CELLESIVS, S. J.